



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Deus In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXXII. Prima caussa, ob quam Deus tot adulterijs perfidijsq[ue]
matrimonia contaminari permittat; scilicet vt castorum coniugum fides
tantò magis elucescat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

data præstetur, & totus sit immaculatus. Causam subiungit: Fornicatores enim & adulteros (vt reos) iudicabit Deus. Si, vt reos iudicabit, ergo displicent ei. Si displicent, cur esse permittit? Possem dicere, vt iustitiam in illis suam demonstret; vt aliquibus occasionem offerat, cum Apostolis dicendi: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Sed & alias huius permissionis causas attexam.

Matth. 19. 10.

C A P V T XXXII.

Prima causa, ob quam DEVS tot adulterijs perfidij sçq. matrimonia contaminari permittit; scilicet, vt castorum coniugum fides tantò magis elucescat.



Vandoquidem igitur genus humanum matrimonijs propagandum est, statu vtique bono atque honesto, & quidem, ob fidem, vt dictum est, coniugalem bono, atque honesto; cur, in eo statu, tot esse perfidias, & tam crebra committi adulteria finit sapientissimus Mundi Gubernator? Ad hanc quæstionem generatim responderi potest, & peculiariter. Generatim enim idem dici potest de matrimonio, quod de Mundo. Nam cum & Mundum bonum condiderit Deus, tamen in eo morbos, & iniurias, & peccata, & mille alia mala esse permittit, quia ipse bonus est; & voluit, ipsis malis bonosque, tanquam contrarijs, illustrari; naturisque rerum cursum suum relinquere. *Nec tamen hoc diuina bonitati repugnat,* ait S. Thomas, *quòd mala esse permittit in rebus ab eo gubernatis. Primò quidem quia providentia non est, naturam gubernatam tollere, sed saluare. Requirit autem hoc perfectio vniuersi, vt sint quedam in quibus malum non possit accidere; quedam verò, qua defectum mali pati possint, secundum suam naturam. Si igitur malum totaliter excluderetur à rebus providentia diuina; non regerentur res secundum earum naturam: quòd esset maior defectus, quàm tolleretur.* Atque hinc prima & generalis causa responsioque, necessario corollario deducitur.

I.

S. Thom. in Cõp. Theolog. cap. 142.

II.

Idcirco enim prouidus Mundi paterfamilias, tot malos viros, atque tot perfidas esse vxores finit, vt maneat sua natura

Ccc

ris in-

Genes. 39. 6.

ris indoles & diuersitas, & boni mariti, bonæque ac fide coniuges tanto sint chariores. Omnibus enim rebus & pretium addit raritas, & æstimationem. Tales autem viros, talesque feminas reperiri, litteræ sacræ profanæque restantur. Quid pulchrius esse potest exemplo Iosephi? Quid turpius vxore Putipharis? Latuisset Iosephi virtus, si moxchæ illius impuritas latuisset intra pectus. *Erat Ioseph pulchra facie & decorus aspectus. Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditus, ignorat, quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestatis, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum. Huiusmodi verbis, per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & illa recusabat stuprum. Accidit autem, quadam die, ut intraret Ioseph domum, & operis quippiam, absque arbitris, faceret: & illa apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret: Dormi mecum: Qui, relicto in manu eius pallio, fugit & egressus est foras. Duo hic sunt, fidei in Ioseph, perfidiæ in femina, simul exempla. In Ioseph tantò commendabilior erat casta fidelitas, quia erat pulchra facie, & decorus aspectu; nec tantùm commendabilior, quia Gravior est pulchro veniens in corpore virtus, sed etiam, quia venustas & allici facilius, & citius allici solet.*

III.

Contigit autem hoc, post multos dies, anno circiter vicesimo seruitutis illius, in Ægypto, cùm jam esset 27. annorum, ut nemo fidat tempori, aut de consuetudine sua securus sit. Quercus, quæ centum annis stetit, cadere potest. Potest & homo tentari, post multos annos, qui nullam antè sensit tentationem. Obseruarunt quidam, multos viros pietati assuetos, post quinquagesimum ætatis suæ annum, adhuc, nimiam sui fiducia in libidinem prolapsos. Quàm diu homo in via est, potest errare: quàm diu militat, oppugnari, immò & vinci. Et si ipsa occasio non det, dare tamen eam illi alij solent. Quemadmodum Ioseph, non aspexit ipse Putipharis vxorem, non contemplatus est eius formam curiosè; nihilominus domina illi iniecit oculos suos in Ioseph. Itaque viri non debent tantùm casti-

dire suos, sed etiam feminarum oculos cauere. Neque enim videre duntaxat, sed etiam videri, est periculosum; & illi quoque, qui nolunt amari adamantur.

Et vide mihi mulieris impudentiam: *Dormi mecum*, ait. Alijs satis est nucus, satis comior aspectus, hæc catapulta fuit, & aperta ad stuprum inuitatio. Neque tamen fortissimam hanc columnam deiecit. Nulla igitur excusatio est, dicere, *se fuisse ultro compellatum, negare non potuisse*, sicut quidam bellidux Martis æquè in lustris, ac in campis imitator respondit. Quidquid inhonestè petitur, honestè negatur. Obiecit hoc illi exemplum alius. Dixit, *se Iosephum non esse*. Apparebat sanè, nam & de adulterijs gloriabatur. Erat tamen Christianus, erat, cui suus Princeps multos, Deus multa subiecerat, potuit ergo dicere: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis*, tam mihi propensus est, ut etiã liberalissimo hospitiò, lautissimo conuiuio exceperit, claues ipsas domus obtulerit, *nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Seruus tunc erat Ioseph, nec tamen Dominam veritus est; & Dux talis, Achilles talis, immò tale libidinis mancipium adulteram rogantè non audeat repediare? Iuuenis erat Ioseph, & decorus aspectu, & tamen potuit voluptatem contemnere; tu jam canescens senecio, tu Therfites, tu omnibus morbis obnoxie, fidem vxori tuæ datam non potes seruare; immò ut & adultera fidem irritam reddat, iuuas? Non metuis illius maritum, non times deprehendi? immò quid hominem timeres, qui Deum non times? Disce, miser, orare: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui*: tunc enim etiã, timebis peccare in Deum tuum; neque annues primis, neque continuatis illecebris, ut de te etiã dici possit: *Huiusmodi verbis, per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.*

Adeò inuicta erat Iosephi constantia. Siquidem, ut illa pertinax erat petendo, ita ille fortis fuit repellendo. Hæc virtus ad omnem necessaria est virtutem. Quid enim cepisse iuua? *Gutta vna non lædit, multis ipsa laxa cauantur. Nec*

Ccc 2

forti-

IV.

Psal. 112;

V.

Iob. 6. 12.

fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est, inquit ille. Talis fuit & caro Iosephi, & tamen neque magnitudine, neque assiduitate tentationum potuit superari. Nam velut agmine facto in eum tentationes insiluerunt. Erat in eo corpus quidem sanum & vegetum, caro tamen non *aenea*: itaque & naturæ infirmitas; & iuuentus in libidinem alioqui procliuus; & femine petulantis in leuitate constantia, forma, autoritas, docta sollicitatio; nunc opibus ac promissis ornata, nunc armata minis procatio; denique præsentissimum periculum, si facinus recufaret, vñ in eum impetum fecerunt. Quid multis? illa manus iniecit, & vim fecit, vt optatam vim pateretur. Sed ille maluit pallium exuere, quàm pudorem. Itaque hoc in manibus mœchæ relicto, fugit, exemplo modum docens, hoc peccatum vincendi, quem postea Paulus docuit verbo, cum scripsit

1. Cor. 6. 18.

Fugite fornicationem, hoc est, visum, tactum, colloquium femininarum, & omne libidinis obiectum, tanquam contagiosum & venenatum, non minus, quàm rabidissimi canis morsum, vt inquit S. Hieronymus.

S. Hieronym.
lib. 1. contra
Iouinian.

VI.

Est verò mirabile hoc Iosephi factum, qui, ne heri sui torum foedaret, furias insanæ feminae, & in ijs carcerem mortemque ipsam contempnit. Quid enim aliud potuit expectare? D. Chrysostomus ausus est dicere, se magis mirari hoc factum Iosephi, quàm tres pueros Hebræos, in fornace Babylonica, illæfos permansisse. Sicut enim illi, sic & Ioseph, felix Salamandra, in medijs ignibus illæsus, non adustus, sed purior, integrior, robustior, clariorque effulgit, vt proinde appositè illi acclamari possit, quod S. Dominico (non fundatori Ordinis, sed alteri ex eodem Ordine) in simili tentatione victori acclamarunt demones: *Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti, & non aruisti.* Hinc D. Ambrosius, *Magnus,* ait, *vir Ioseph, qui venditus seruile tamen nesciuit ingenium; adamat non redamavit; rogatus non acquieuit; apprehensus aufugit. Qui cum ab uxore Domini sui conueniretur, teneri veste potuit, anixio capi non potuit: ac ne ipsa quidem verba diu passus est: contagium enim iudicauit, si diutius moraretur, ut per manus adultera libidinis incentiua transiret. Itaque vestem exiit, crimen excussit. Ille Dominus fuit, qui amantis non excipit*

S. Ambros.
lib. de Ioseph
cap. 5.

faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterrituit, qui maluit liber criminis mori, quam criminosa potentia eligere consortium. Talis Iosephus erat antè, quàm coniugio ligaretur; qualem putes fuisse, postquam etiam matrimonij illi vinculum accessit? Habemus igitur duplex exemplum, & in mœcha improbitatis, & castitatis in Iosepho; vt illius fœditate huius pulchritudo commendetur.

Quòd si quis alium vult, & quidem iam coniugem, Iobum ipsum consideret, cuius tanta fuit cura, ne in fidem coniugalem impingeret, vt illud saluberrimum scitum non dubitaret posteris relinquere: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Sciebat enim, oculos esse in amore duces. Quod satis expertus Dauid, nunquam postea sibi satis deplorare posse videbatur. Nam *accidit, vt surgeret de strato suo, post meridiem, & deambularet in solario domus regia: vidit q̄, mulierem se lauantem ex aduerso, super solarium suum.* Quid postea fecerit, constat. Nisi vidisset, adulter non fuisset. Meritò igitur dicere potuit: *Vt vidi? vt perij?* Nam tum statim perijt, quando vidit; quasi caput Medusæ aspexisset. *Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo,* Hanc oculorum continentiam vel in Ethnica discamus. Vxor Tigranis regis Armeniae, vt refert Xenophon, cùm, ex aula Cyri regis Persarum, ad maritum reuertisset, ab eo interrogata, quid de Cyro & Cyri pulchritudine sentiret, respondit: *Abs te, ô marite, deos testor, nusquam oculos deflexi; itaque qualis sit forma Cyri, prorsus ignoro.* O laudabilis ignorantia! ô oculos cælo ipso, non tantùm Tigrane dignos! Hæc fides coniugum quàm chara Deo est? quàm, apud mortales, annalibus digna? Prædicatur vbique in Iob custodia, vituperatur in Dauid libertas oculorum; atque ex huius adulterio illius fidelitas commendatur. Vnius virtus, quàm sit laude digna, ostendit alterius casus.

Idem scribit Athenæus, mirari Aristotelem in Menelao, qui tanto amore atque fide erga Helenam, licet adulteram, fuit, vt nullam admisisse pellicem, apud Homerum, legatur; quod ipsum tamen impunè licebat: præsertim cum etiam præstantissimi Græcorum pellices habere, ab eodem poëta introducantur.

VII.

Iob. 31. 7.

2. Reg. 11. 2.

Matth. 5. 28.

VIII.

Athenæ. l. 13.

cap. 1.

tur: Quare, in eodem thalamo summum fidei & perfidie, castitatis & impuritatis extitit exemplum; ad erudiendos illos, qui existimant, coniuges suos lege talionis puniendos, & sibi id licere, quod alterum deprehenderunt peccauisse; quasi adulterium adulterio sit plectendum; & vnius scelus alterius crimine excusetur. Vel ex poëta discite, ô miser, fidem tenere, peccet licet vxor tua; tu tamen serua, quod promissisti; sit illa contumax, & neget obedire; tu tamen esto fidelis. Denique, tametsi illa sit Helena, tu tamen potes esse Menelaus. Duo, hi coniuges, exempla tibi reliquerunt; facillè vides, honestum turpi esse præferendum. Sicut neque etiam difficile est statuere, Iobi, an Davidis oculos debeas imitari. Vel si Iob tibi nimis sanctus fuit, Eubatam accipe in præceptorem, cui cum aliis oculi insidiarentur, ab ingenio auxilium fuit.

IX.
Aelian. lib. 10
Variar. c. 2.

Lais, cum Eubatam Cyrenensem aspexisset, ardentissimo in eam amore cepit flagrare, & de contrahendis, inter se mutuo, nuptijs sermonem ei detulit. At ille metuens eius insidias, recepit sese id facturum. Non tamen rem cum illa Eubatas habuit, sed casto & temperanter vitam peregit. Sponsio verò his conditionibus facta est, ut, post ludos certamenq;, rata deberet esse. Cum igitur victor abierat certamine, ne conuentis non stetisse videretur erga feminam, pictam Laidis imaginem deportauit secum Cyrenam, inquiens, se Laidem dare, & pacta non fregisse. Quam ob causam mulier, qua ipsi nupserrat, maximam ei statuam Cyrena ponendam curauit: sic remunerari volens eius temperantiam. Apparet hic rursus fidem Eubate non minus insignem fuisse, quam Laidis leuitatem: & per hanc illi statuam fuisse erectam. Frequenter enim vnius crimine virtus alterius clarescit.

X.
Cant. 8. 6.

Verè Salomon, Fortis est, vt mors dilectio. Quidam enim, ne dilectionem fidemque coniungi promissam læderent, mori, quam fedari, maluerunt. In horum censu refert Zonaras, Isaacium Comnenum Imperatorem extitisse. Is peregrè profectus in morbum incidit. Consultatum est de remedio; & à medicis, qui corporis magis, quam animæ curam habere consueuerunt, consultum, vt consuetudine mulieris morbum leuaret. At is fidei à se datæ memor, valetudine, & adeò etiam morte insuper habita,

habita, cum vlla, præter vxorem suam, rem habere recusauit; pulcherrimo documento eorum, qui, libidinis causa, non dubitant vires & sanitatem, formam & vitam perdere. Hinc infamis scabies, hinc infecti sanguinis, & detestanda Veneris flores non solum oculos subeunt, sed vndique etiam illis, per mentum, per genas, per frontem, per omnem vultum ebulliunt; putes te in idoli alicuius faciem vbique gemmis carbunculisque distinctam incidisse. Neque enim Bacchus duntaxat hæc germina irrigat; sed vel maximè Dea è mari nata, vbi & margaritæ nascuntur. Multis hæc lues medullas ipsas ossium exedit. Multis totum corpus eneruat. Ad extremum multi, ob hanc labem, vnguentis foetent, emplastris sordent, capillum amittunt, barbis priuantur, sectiones patiuntur. Quotò his pulchrior est Isaacius aliquis aut Casimirus? Hædos ergo illos esse finit Deus, vt illustret cuiuscemodi agnos; qui *malunt mori, quàm fœdari.*

Huc vsque de virorum fide locuti sumus, nunc etiam aliquid addamus, de feminarum fidelitate. Harum autem dux esto Susanna Helciæ filia, femina immortalis nomine imitationeque omnium matronarum digna. Huius enim, in coniugio, fides, nuptis omnibus documento est, vt mori malint, quàm consentire corruptori. Ad huius fidem constantiamque laudandam multa concurrunt. 1. *Erat pulchra uimis.* Rara autem formæ ac pudicitie est mixtura. Plerumque cupiunt se libenter ab alijs spectari, quæ se in speculo deprehendunt non esse inuentas. 2. *Erat Ioakim* maritus eius, *diuus valde.* Diuitias *irritamenta malorum*, quis esse nescit? illæ luxum in mensis, delicias in cibus, pretium in stolis suppeditant. Quam autem difficile est, vestem mulieris, & non ipsam etiam mulierem luxuriare? 3. Ad Ioakim *confluebant Iudæi, eò quòd esset honorabilior omnium.* Inter multos, insaniunt multi; & si displicet vnus, saltem alter solet placere: denique quid plurimum non efficiet familiaritas, si vnus colloquium est periculosum? 4. Non iudices modò *frequentabant domum Ioakim, sed insuper ueniebant ad eos omnes qui habebant iudicia,* scilicet rei & innocentes; lenones, & laniones; in qua turba procliuè est varia tentari.

XL

Dan. 13.

tari.

tari. 5. Non opus erat talibus: ipsi duo senes iudices fuerunt, de quibus locutus est Dominus: *Quia egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Si malicia horum non potuit flectere Susannam, saltem autoritas frangere potuisset.

XII. 6. Hi duo primùm seorsim atque singillatim ei machinam struxerunt; postea *sciscitantes ab inuicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam: & tunc in communi statuerunt tempus, quando eam possent inuenire solam.* Quid duo nequam non possunt, si in vnum facinus conspirauerunt? 7. Faut eis & locus, & tempus, & solitudo. Nam *cùm obseruarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri & nudius tertius, cum duabus solis puellis, voluit quæ lauare in pomario: astus quippe erat: & non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, & contemplantes eam.* Vt autem magis sola esset, etiam puellas à se emisit, & ostia pomarij claudi iussit. Hucusque Susannam, inter tot occasiones, castam fuisse multum est; hinc castam mansisse, prodigium est. Si quidem hic arena fuit magni certaminis, & velut in theatro, cum duobus leonibus vna virago decertauit. In horto, sola, clausa, vestibibus exuta, blanditijs, minis, argumentis petita, marito, immo Deo fidem seruauit. *Cùm enim egressa essent duæ puellæ, surrexerunt duo senes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt: Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in concupiscentia tua sumus: quamobrem assentire nobis, &c. Quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quòd fuerit tecum iuuenis, & ob hanc causam miseris puellas à te.* Quantus hic aries? Quòd argumentum fortius potuit castissimo pectori adhaereri? Nonquam magis inter scopulos stetit conseruatio famæ, & amissio pudicitia. Igitur ingemuit, Susanna, & ait: *Angustia sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, nec effugiam manus vestras.* Quàm multi metu cedunt, & Deum negligunt, ne apud homines infamentur? Vix centesimus vir inuenitur, qui ob respectus humanos, ob hominum iudicia ac sermones à recto non retrahatur. Et tamen Susanna, velut maritima columna, inter Aquilones, velut rupes immota inter affilientes procellas, stetit, & inuicto animo sententiam illam protulit:

protulit: *Melius est mihi, absque opere, incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Hæc cum diceret Susanna, non ignorabat, crabrones à se excitari, iudices & testes contra se stare, denique lapidationem ac mortem sibi certissimam imminere, cum ipsâ nominis & stemmatis infamiâ, quouis supplicio honestæ matronæ magis metuenda: hæc, inquam, non ignorabat Susanna, & tamen in fidè conjugali perstabat.

Tanti refert bene educatam esse prolem, & Deum timere doctam. *Parentes enim illius, cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi;* secundum quam illa quidem lapidationem sciebat constitui in eas, quæ de adulterio accusabantur; sciebat tamen etiam, satiùs excusari, quam ream esse; & ab hominibus, quam à Deo damnari. Hic timor Dei Iosephum cohibuit dicentem: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Quem ut præsentem ubique intueor & revereor? quem ut patrem amo, ut iudicem metuo? Hunc imitata Susanna noluit peccare in conspectu Domini, etsi angustia essent undique. Hæc vera est dilectio, quæ dicit: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?* &c. certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. Hic verus est timor, de quo Eudoxiæ Imperatrici, cum S. Chrysostomo minitaretur, dictum est: *Frustra illum hominem terres: nihil ille, nisi peccatum timet.* Hunc timorè S. Ludouicus Franciæ rex puer adhuc à Blancha matre didicit: *potiùs mortem oppetere, quam in peccatum lethale consentire.* Hunc eundem didicit Tobias à patre dicente: *Caue, ne aliquando peccato consentias: multa bona habebis, si timueris Deum.* Hunc Sapiens docuit inquit: *Tanquam à facie colubri fuge peccatum.* Hunc exereuit D. Anselmus, cuius hæc sunt: *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessario uni eorum immergi deberem; priùs infernum, quam peccatum appeterem.* Quin vel Ethnici Christianos in ruborem dant. Nam & Aristoteles dixit: *Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis.* Et Papinianus Iurifconf. oceumbe-
re maluit, quam parricidium Caracallæ Imp. qui occiderat fratrem Getam, defendere. Discite hinc, ô Christiani, discite viri, discite feminae, vsque ad mortem fideles esse: *Melius est*

XIII.
Dan. 13. 3.

Gen. 39. 9.

Rom. 8. 35.

Eccli. 21. 20.

Aristot. lib. 3.
Ethic.

D d d

absq₃

absq; opere, incidere in linguas, in calumnias, in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini, qui potest vos, etiam post latam in vos ab hominibus sententiam, à morte & iniuria infamia liberare, sicut Susannam liberavit. Quin, etsi occidi finat innocentes, non damnat, sed ornat: vult enim caltis imponere martyrij coronam; vt pulchrius fulgeant lilia rosis decorata.

XIV.

Susannæ succedat decantatissimi nominis femina Penelope, Icari filia, nullis procorum blandimentis, nullis pollicitationibus adducta, vt absente, per viginti annos, marito Ulysi se, castitatem collutaret. Fuit Penelope femina; fuit opulenta; fuit ambitione digna; fuit ita diu deserta à marito, vt vidua posset haberi; fuit muneribus, alloquijs, lenocinijs sollicitata: neque vnum tantummodo habuit sollicitatorem, & omnes superavit. Quanta res est, inter tot impuros, castam mansisse? In his scopulis, quot aliæ feminæ nauem fregissent, & quàm multas naufragij sui excusationes atulissent? Sic Homerus eam laudat, sic alij prædicant Poëtæ, qui quantumvis alioqui salaces, tamen crediderunt, eam, per tot annos castitatem seruare potuisse. Horum vnus ita canit.

Ouid. lib. 3.
Eleg.

*Penelope mansit (quamvis custode careret)
Inter tam multos intemerata procos.*

XV.
S. Augustin.
lib. 1. de ci-
uit. Dei c. 19.

Quòd si exemplum hoc ex fabulis est petitum, illud alterum ex historijs sumamus. Nam & Lucretiam (ait Augustinus) matronam Romanam pudicitia magnis efferunt laudibus. Huius corpori cum violenter oppresso Tarquinij regis filius libidinosè potitus esset; illa scelus improbissimi iuuenis marito Collatino, & propinquo Bruto, viris clarissimis & fortissimis indicauit, eosq; ad vindictam peruenit: sed facti in se commisi impatiens se peremit. Tantus dolor fuit, vel inuitam fuisse violatam. Homicidij hæc, non adulterij reas, faminas illas pudefacit, quæ adulteria sua, non in seipsis, sed in maritis suis vindicant, quos occidunt, vt possint adulterij liberiùs frui, ac custode remoto, quò libet, vagari. Neq; desunt feminæ, quæ ingenio atque arte, non secus atque Penelope illa Nocturno soluens texta diurna dolo, pudicitiam suam defenderunt,

Propert. lib.
2.

Franciscus Sforcia Mediolanensis, Florentini populi copiarum dux, Casanovam oppidum vi ceperat. Quidam milites insigni forma puellam captivam ducebant clamantem, ut ad primum ducentem deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Francisco Sforcia, Quamobrem ad se venire cupisset, respondit, Ut eius voluntati obsequeretur, modo incolumis à militum iniuria servaretur. Franciscus amanti, uti videbatur, paruit: cumq; noctu eam complecti vellet, puella lachrymarum plena, per virginem Dei Matrem, cuius imaginem lecto, de more affixam Franciscus, singulari veneratione, colebat; item per famam, qua de ipsius bonitate, apud omnes, erat, rogavit, ne se castitatis honore priuaret; sed marito intactam potius restitueret, qui cum alijs captivis in vinculis custodiebatur. Franciscus pudicitia eius conspecto studio, statim lecto prosiliit: maneq; accersito ad se viro, eam publicè restituit, adiurans, nihil cum ea sibi rei fuisse. Hoc ipso patris Sfortia præceptum, de alterius nupta non attingenda, secutus. Absterrerent multæ multos, si ad preces confugere vellent. Sed celebrem reddunt hanc feminam feminae, quæ contrarium potius precarentur; sicut Pontiam Romanam, quam nullis verborum lenocinijs aut pollicitationibus, ad adulterium cum Octavio tribuno plebis committendum, impelli potuisse, quin ab eodem interfici maluisse, memorat Tacitus. Aliæ mirando potius, quàm imitando exemplo, non iam violatæ, ad modum Lucretiæ Romanæ; sed ne violarentur, sibi met violentas manus admoverunt. Eusebius & Pomponius Lætus nobilissimam pariter atque castissimam feminam referunt, cum Maxentius Tyrannus eius amore captus, ad eam sibi adducendam magistros libidinis misisset, varia effugia quæ fuisset; post omnia, mariti operam imploravisset. Quia quia, metu mortis, vetare non potuit, ne abduceretur, petijt illa paucillum, ad se ornandam tempus, & impetrauit. Ingressa igitur cubiculum, quasi vestem mutatura, impresso sibi cultro, vitam cum morte commutavit. Moræ pertæsi satellites, perfracto aditu, irruperunt. Nihil reperere, nisi cadaver, non nova veste ornatum, sed nova castimoniam servandi ratione celebratum. Quin & de Ethnicis quoque feminis similia exempla leguntur. Inter quas Mallonia Romana fuit. Ea

Ddd 2 quippe,

XVI.
Fulgosus l. 4.
cap. 3.

Euseb. lib. 8.
hist. Eccl.
cap. 16. Pom-
pon. in com-
pendio Rom.
hist.

quippe, teste Suetonio, ad Tiberium libidinosissimum senem, perducta, nequaquam compelli potuit, ut obscœnis illius votis obsequeretur. Ex templo itaque amor in odium degeneravit. Nam Tiberius eam delatoribus obiecit. Quanquam ne ream quidem interpellare desinebat, identidem interrogari imperans: *Ecquid pœniteret?* Illa ergo, pro tuenda pudicitia, iudicio relicto, domum profugit, ferroque Lucretianum pectus transegit. Non laudo eadem, quæ, seclusa potestate à Deo vitæ authore & domino facta, illicita est; suspicio tamen tantæ constantæ castitatis tuendæ voluntatem. Quæ in femina tantò est rarior, quantò femina viro est imbecillior. Ad quas laudes pertinet Engltrudis de Bilico, nobilis Rauennas, quæ, cum à patre suo Ottoni Imperatori, in templo, audisset dici, quænam esset illa puella, quæ ei haud parum placeret; posse illi osculum pangere, erexit se, de genibus in pedes, & stans rubore perfusa dixit: *Ne, mi Pater, promittas cuiquam, quod non est in potestate tua. Equidem prius, quàm ab alio viro, nisi futuro marito, me tractari permittam, hoc cultro (& simul eum eduxit) pectus meum perfodiam.* Quod tam generosum dictum sic Imperatori probatum est, ut illi virum insignem Guidonem, cum ampla dote, è Palatinis dederit. Usque adeò probis mulieribus pudicitia charior est, quàm vita.

Gregor.
Horst. pag.
366. ex Bapt.
Fulgoso.

XVII.
Ludouic. Vi-
ues de Chri-
stian. fem. l. 2.

Plutarch in
Apophtheg.
Lacedæm.

Quare etiam ipsos maritos mortem pati malle, quàm ritualem, Mediolanensis quædam matrona docuit; quæ cum Marfidium maritum suum tenerrimè diligeret, & amator rem ab ea turpem contenderet, idq; per vitam & salutem Marfidij: *Atqui Marfidius (inquit illa) mallet centies mori, quàm id semel à me committi. Quod verò per salutem illius à me requiris, ob ipso eodem petito.* Consimile propemodum dedit responsum, apud Plutarchum, Lacæna, quam quidam de stupro, per internuncium, appellauit. Nam illa sic respondit: *Puella cum essem, patri dicto audiens esse, idq; feci: postquam nups, viro. Si ergo aqua à me postulat, huic primum id aperiat.* Honestissimæ indolis est, si femina, in periculis, ad maritos recurrant, & illis apertos pudicitia insidiatores obijciant repellendos. Quanquam prudentis est, non quacunque suspicione, maritum in alios irritare. Cre-
dula

dula res est zelotypia, & tam in iniurias, quàm in vindictas iustas prona. Aliud est suspicari, aliud periclitari. In claris periculis, tutissimum est vxori maritus asyllum; ad quod sapienter matrona Mediolanensis procum reiiciendo confugit; vti & Lacæna.

Accuratæ quoque fidei argumentum est, quod idem Plutarchus narrat. Hieron Syracusanus tyrannus ex inimico audiuit primum, sibi fatere animam. Quamobrem commotior ad uxorem, inquit, cur non commonuisti? At illa, vt quæ modesta foret, puraq; Quoniam, inquit, ita viris omnibus os olere opinabar. Quàm pauca fæminæ in hac sunt ignorantia, & opinione? nimirum experientiâ aliud doctæ, quod nescirent, si viris suis fideles essent. Sed necesse est, earum perfidiâ, fidem castarum commendari; quæ transgressæ non sunt, cum transgredi potuerunt; egregieque docent, quantum sit matrimonij bonum, fides marito seruata; dum adulteræ ostendunt, quantum sit matrimonij ma-

XVIII

Valer. Max.
lib. 10.

lum fides violata. Vtræque ergo in exemplum proponuntur; sicut olim Caia Cæcilia Tarquinij Prisci regis Rom. vxor, singularis modestiæ, probitatis, & industriæ femina, Lanificij peritissima, quæ velut idea veræ matris familias habita fuit. Et ideo institutum est, vt noua nuptæ, ante januam mariti interrogatæ, quanam vocarentur; Caiam esse se dicerent C. Titij, plurimæque vellent Caiæ nominari.

XIX.

Prou. 5. 12.

Talem qui nactus est coniugem, meritò pluris etiam hoc nomine, æstimat, quia videt se, inter multas sequiores, fidelem, hoc est, rem raram acquisuisse. De qua Sapiens ait: Sit tibi vxor, sicut cerua charissima, & gratissimus hinnulus. Est enim amor cerui ac ceruæ singularis. Velocissimi sunt ad inuicem opitulandum. Castè, & non nisi secretò congregiuntur. Post conceptum, congressu abstinent. Felle carent: quo pacto olim, in connubijs, Iunoni pronubæ sacrificantes fel eximebant & abijciebant, ad charitatem coniugum significandam, vt scribit Plutarchus. Interim ceruæ mari suo fidæ sunt. Nam, vt Nemesianus canit: Cerua matrem sequitur. Ceruus autem pro compare sua acerrimè duellat. Tale est coniugium fidorum;

Ddd 3 inter

inter quos amor mutuus; auxilium mutuuum; verecunda castitas: nihil amarum: ardens & amabilis constantia.

XX.

Plutarch. in
Lycurgo.

Adeste igitur, o coniuges, & bonum hoc matrimonij colite, seruate fidem, quam spondidistis. Non ea ita difficilis est, ut seruari non possit; non ita rara, ut non seruetur. Apud Spartanos adulterium fuit inauditum. Hinc hospiti sciscitanti: *Quæ esset pœna, apud Spartiatas, in adulteros constituta?* Respondit Geradas: *Adulter, hospes, non inuenitur apud nos.* Quæ subiciente; *Quid si inuentus sit?* *Taurum*, inquit, *luit ingentem, qui capite traiecto Taygetum bibit ex Eurota.* Obstupescente illi ac dicente: *Qui existat bos tantus?* ridens Geradas: *Qui, inquit, adulter existat Lacedamone?* Vxor Hieronis, vel, ut alij volunt, Gelonis regis Siciliae, paullo prius à nobis laudata, si omnes feminas haberet pares, tamen pares, apud nos, viri non reperirentur. Pudor est igitur nostro seculo, à Spartanis superari, & pudor noster est honor Spartanorum.

Cælius lib. 13.
cap. 7.
Sab. lib. 2.
En. 6.

Chiorum feminæ tantæ erant castitatis, ut neque adulterium, neque illegitimum concubitum ibi accidisse vnquam proditum memoria fit. Quin & in Germanorum olim feminis, mira fuit pudicitia: nulla spectandi illecebra: nulla coniuuorum ratio: rara in tam numerosa gente adulteria: cuius coniectu muliere, resectis capillis, nudatam coram propinquis, maritus, deus exactam, toto vico verberibus agebat. Profligata pudicitia nulla venia: non ætas, non forma, neque connubium corruptis conciliare poterat. Nemo tamen vitia videt; id enim corrumpere seculum, & corrumpi arbitrabantur. Sic rursus mulieres maritum accipere, ut vnum corpus, & vnam vitam. Nec ulla cogitatio ultra, nec longior cupiditas: tanquam matrimonium amarent, non maritum. Plus apud illos boni mores valuerunt, quam alibi bona leges. Hæc antiqua Germania fuit. Noua plane nunc est Germania, postquam ab antiquis moribus recessit: cui columba illa seducta non habens corpus potest comparari. Nimirum aliter viuere nostra ætas cœpit, postquam cœpit aliter vestiri. Immo aliam vitam, alius habitus est secutus, ut seculum in leuitatem declinans, luxum & luxuriam ipso etiam externo amictu profiteretur. Et sunt, pro dolor, feminæ, quæ exteras quædam mulieres imitatæ, nec ipsas satis mammæ tegunt; ut appareat

Osee. 2.

pareat, eas velle oculos spectantium lactare. Apostolus vult etiam capita mulierum velari, nedum vbera. Ob quam causam mulier si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine illi dati sunt. Mutata nunc sunt secula, olim fuit turpe mulieri tonderi; nunc pulchrum censetur. Olim velari pulchrum fuit, nunc non caput tantum nudant, sed etiam pectus, ut eo inspecto curiosorum oculi corpus quoque, reliquum possint licitari. Ita nimirum vana sunt Veneris mancipia, quae, si desint alij venditores, se ipsa prostituunt gratis.

1. Cor. 11. 15.

C A P V T XXXIII.

Secunda & tertia causa, ob quam diuina bonitas iustissime adulteria fieri permittit, scilicet Fidei diuina & duplicis Temperantia defectus.

MVndus ab initio innocens fuit; neque sciuit primaetas de adulterijs quidquam. Et primos parentes, in Paradiso, virgines mansisse aiunt; inde exules primum matrimonio vsos. Postea, cum tempore, malitia creuit. Videns enim Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, omni tempore, diluuium Mundo induxit, ut ablueret tantam foeditatem. Verè Venusinus vates:

*Damnosa quid non imminit dies?
Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosorem.*

I.
Gen. 4. 6.

Gen. 6. 5.

Horat. lib. 3.
Carm. od. 6.

Et alius Poëta aureo seculo aureos mores tribuens canit:
*Credo pudicitiam, Saturno rege, moratam
In terris, visamq; diu: cum frigida paruas
Præberet spelunca domos, ignemq; laremq;
Et pecus & dominos communi clauderet umbra.*

Iuuenal. Satyra. 6.

Quemadmodum ergo vires hominis ad senium vergentis, ita & virtutes Mundi senescentis deficiunt. Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra? Tanta est socordia, tantus neglectus rerum diuinarum, ut plurimi neque de Deo audiant, neque legant,

Luc. 18. 8.